




Lingu. Semit.

256,0



V I R O
MAGNIFICO, SUMME REVE-
RENDO, DOCTISSIMO,
D O M I N O
BERN. GUALTHERO
MARPERGERO

S. S. THEOLOGIÆ DOCTORI CE-
LEBERRIMO, SACRORUM IN AULA REGIA
ET ELECTORALI SAXONICA ANTISTITI PRI-
MARIO, CONSILIARIO ECCLESIASTICO, ET
CONSISTORII SUPREMI ASSESSORI
GRAVISSIMO,

MUNUS HOC SPLENDIDISSIMUM

NUPER IPSI COLLATUM DEMISSE

GRATULATUR, ~~Hist. litt. germ.~~

AC SIMUL ~~xxiii. 417.~~

DE USU LINGUÆ ARABICÆ ETYMOLOGICO
IN EXEGESI SACRA DISSERIT,

JOH. CHRISTIANUS CLODIUS,
PROFESSOR LINGUÆ ARABICÆ.

LIPSIÆ,

TYPIS HENRICI CHRISTOPHORI TAKKII.



ling. Sem. 256(3) Philol. arab. OA (4)

V I R O

ALBERTO, SUMMUS REX
REX, DOCTISSIMO

D O M I N O

BRUNO GUALTIERO
MARTINUS

SS. THEOLOGICAE DOCTOR CE
LESTRIANO SACRO IN ROMA REGIA
ET ELECTORIS SACRORUM AUSTRIACORUM
AC REX, COELESTIUM SACRORUM
CHRISTIANISSIMO

MUNIFICENTIA SPENDIT

ANNO 1754 COLLEGIUM
GRATULATUR

AC EMUL

DE USU LINGUE ARABICAE ET MOLOGICAE

IN EXCELSA

JOH. CHRISTIANUS CRIDIVS

PROFESSOR LINGUE ARABICAE

1754

THE HONORABLE CHRISTOPHER



VIR MAGNIFICE,
SUMME REVERENDE
AC DOCTISSIME,
PATRONE SUBMISSE VENERANDE.



Vum iudice Poëta Venusino, virtus
fit medium vitiorum, & utrinque
reductum, eos imprimis, qui
scientiis operam navant, virtu-
ti huic studere debere arbitror,
ne vel abjecte nimis de illis sen-
tiant, vel majus, ac par est, pre-
tium illis statuunt, & hac ratio-
ne *εργον ως παρεργον* aut *παρεργον
ως εργον* ut Agatho apud Athenæum ait, perverse tractent.
Sed quemadmodum in totius vitæ curriculo, miseri mortu-
tales

tales a via media sæpe deflectunt, ac quotidie Iliacos intra muros peccatur & extra, ita in æstimanda recte eruditione isthoc fieri constat, ut quasdam ejus partes, variis præjudiciis fascinati, vel ad imum deprimant, vel in cœlum extollant, ac aureum illud *μνδεν αγαν*, nequid nimis, parum observent. Habet omnis cognitio humana duas velut alas, quarum adminiculo illud perfectionis culmen in omni scientiarum genere attingit, quo imbecillitas nostra eniti potest. Nam ut Philosophia, intellectui nostro tenebris immerso, facem velut præfert, qua admota verum a falso, dubium a certo, possibile a probabili, in rebus humanis discernimus, sic Philologia, clavem velut ad referandos abditos scientiæ thesauros porrigit. Neque tamen defuerunt, qui vel utramque ceu inutilem, immo noxiam cavillarentur, vel ad alterum extremum delapsi, nimium illi tribuerent, ac justæ æstimationis limites transilirent. Quis a multis Philosophiam, etiamsi a Scholasticis sordibus purgata sit, sub (*) *ψευδωνυμου γνωσεως* seu falso nominatæ scientiæ titulo, totam de ponte dejici, ab aliis autem in throno collocari, ac scientiarum reginæ instar adorari ignorat? Sunt qui in rebus divinis ac revelatis supremum judicem eam constituunt, & coram hoc tribunali in illas inquirendum esse asserunt, usumque *magisterialem* (barbariei venia sit!) ei vindicant, & sunt, qui nullum omnino in illis usum, ne *ministerialem* quidem, ei concedunt. In Philologiæ autem studio, nimii interdum fuerunt linguarum admiratores, qui in illas effusis habenis ruentes, nullo selectu, nulla utilitatis ratione habita, per totius orbis angulos, scrupulosa & anxia industria vagati sunt, nec *Hottentotticam* vel *Caräibicam* linguam dili-

(*) *Sensum harum vocum ex Pauli ad Timotheum Epistola depromptarum Langius in dissertatione de Genealogiis nunquam finiendis & de fabulis Judaicis docte explanavit.*

diligentia sua indignam censuerunt, sanæ autem Philosophiæ præceptis mentem imbuere omiserunt, quam ob causam ridiculis sæpe erroribus excæcati sunt. Ac ut illi *Pan-glottorum* laudem improvido ausu affectarunt, ita contra quidam ab omni linguarum notitia adeo abhorruerunt, ut ne maternam quidem & vernaculam satis discere ac intelligere voluerint, quos, nisi a natura instrumento ad loquendum præditi essent, *Aglottos*, seu usitato Turcis vocabulo دل سبیزلر *dilsizler*, hoc est, linguæ expertes, ob ignorantiam appellarunt. Non nulli etiam in ea fuerunt hæresi, quæ solam Græcam & Latinam linguam omnibus præfert, ac tanti facit, ut vel ipsas ad DEum preces græcè aut latine tantum fundendas esse præcipiat, quod *Scioppium* & *Campianum* fecisse memoratur. His bellaria Attica & Ausonia gentis deliciæ unice ad palatum fuere, alii autem depravato valde gustu, Orientis cupedias (מטעמי הקראי) justo avidius expetiverunt, Græca vero & Latina, velut insipidas dapes, nausearunt, & cum *Clenardo*, frusto panis atria, pud librum Arabicum contenti vixerunt. Et quanquam alii, quid distent ærâ lupinis intelligentes, linguas illas pari studio conjunxerint, attamen vel in nuda illarum & sterili notitia subsisterunt, vel prout decebat, non applicarunt. Quot enim audaces Critici scientia sua Philologica sacra & profana abusi, horrenda sententiarum monstra pepererunt, ac nefando conatu, ipsa pulcherrima & clarissima divinorum scriptorum oracula, illis deformarunt & obscurarunt? Quidam intempestivo studii sui amori indulgentes, aut novitatis specie perculsi, aut ingenii famam captantes, tantum linguis non cognatis detulerunt, ut in lingua Hebraica illustranda plerumque ad illam recurrerent. Sic vir quidam doctissimus, vocum Hebraicarum juxta atque Syriacarum & Arabicarum origines, ex Græcia mirando molimine repetit, quod jam *Petrus Ericus* Professor Patavinus in

renato e mysterio principis philologico an. 1686. edito, statuit. Ac nuper alius, linguæ Hebraicæ stammina ex Sinica texere, præeunte olim *Webbero*, Anglo in animum induxit. Immo in Americanis quidam ἀρουρικόν τι invenerunt & notabile, non quod pueri in faba se reperisse clamitant, ut Comici Sarfinatis phrasi utar. Arctæas quoque linguas ad Hebraicæ illustrationem aliquid conferre posse, non nemo credit. In contrarias autem partes ivere, qui nullum plane linguis affinibus usum, in explicando sacro codice relinquunt, ac solam Hebraicam sibi ad hunc finem sufficere existimant, aut ex scepticismo quodam Philologico dubium nimis illum reddere conantur. Sed illa opinio Viris perspicacibus, ac præter alios *Wichmanshausenio*, Professori linguarum Orientalium Vitebergensi celeberrimo, in *dissertatione de differentiis vocum Hebraicarum* pag. 21. & *Wolfio* Pastori Hamburgensi meritissimo, in *libello de lexicis Hebraeorum* pag. 204. displicuit. Quorum ego vestigiis in hærens, peculiari aliquando dissertatione, εαν ο θεος θεληση η ζησωμεν, adversariorum argumenta expendam, ac harum linguarum in Exegesi usum, exemplis uberius demonstrabo, summorumque virorum consensu firmabo. Interim quantum ad linguæ Arabicæ usum attinet, eum ex insigni cum lingua Hebraica harmonia derivari posse arbitror. Nam si in sexcentis aliis, notioribus & certioribus vocibus, cum illa convenit, in difficilioribus ac minus notis, eam adire non incongruum erit. Pone enim, unum tantum librum in lingua Germanica scriptum superesse, nonne de voce aliqua obscura, vicinarum regionum, ubi similitudo illius idiomatis servatur, sermonem consulere deceret? Ergo & vocabulum obscurius, & rarius in Palæstinæ finibus, quibus veteris testamenti lingua terminatur, recte in maxime vicina regione, Philologi quærunt, ac ejus sensum summa cum probabilitate ibi inveniunt. Con-

sentit

sentit *Relandus* in *praf. libri de Relig. Mohammed.* §. 10. & *Schultens* in *oratione de fontibus*, ex quibus lingua Hebraea notitia manavit, horumque vitiis ac defectibus, quæ Originibus Hebraeis ex lingua Arabica illustratis, adjecta est. Verum enimvero cautione opus esse non inficior, ut ex levi aliqua causa, temere ad linguam Arabicam aut aliam cognatam ne confugas, monente Magno *Bocharto Hieroz. P. II. c. VIII.* nec pro lubitu & promiscue radices Arabicas, quomodocumque cum Hebraicis convenientes substituas, earumque significationes loco difficili forte congruentes assumes, cum lingua Arabica copiosa sit, & vocabula affinia cum multis significationibus facile suggerat, recte observante *Kromayero* in *notis ad Jobum*, qui tamen sæpius aliena affert, ac quadrata rotundis miscet. Dein alternationis literarum regulæ probe observandæ sunt, ut acutissimus *Hillerus* Professor linguarum Orientalium Tubingensis, in *Grammatica Hebraica* bene monuit, & exemplis declaravit. Contra hæc & plura alibi prolixius danda monita, Viri eruditissimi aliquoties impingere, ac nescio qua vertigine abducti, interdum præter opinionem ad litora Arabica aut Æthiopica appulerunt. Quo factum esse puto, ut multi studium Etymologicum velut incertissimum plane rejecerint. Refero huc *Petrum Kirstenium* nuper in *Programmate* a me laudatum, qui in *notis ad Matthæum* vocem עֲמוּנָה Servatoris nostri nomen, ex Arabica lingua derivari posse credidit, scilicet ab عَمَّ i. e. generale & commune facere, populus, multitudo, & a فَيْل i. e. robur, potentia, facultas, ut quasi robur generale & commune sive populi potentiam, aut multitudinis facultatem significet. Et *Ludovicus de Dieu*, qui & significationes interdum ex lingua Æthiopica sine causa arcessit, ludere videtur, cum Arabicam vocis שִׁילָה significationem affert, scilicet a سَيْل i. e. fluxus & سَيْلِ سَم fluxus sanguinis seu semen,

ex

ex quo metonymice *filiam* efformavit. Nec conjectura *Bocharti* adeo (*) doctis probatur, quæ vocem חַרְזִיב ex Arabico حَزَائِيل i. e. *separationes*, derivandam esse sibi imaginatus est, altera autem, quæ *Relandus* nititur, ex nomine diaboli Arabico حَزَائِيل *Azazel* hausta, verisimilior est, ac eam *Millius* Professor LL. OO. Trajecti ad Rhenum, illius Successor, in *dissertationibus Philologicis* pag. 385. tuetur. Plerumque tamen Ἀραβικωτάτος *Bochartus* Etymologias acute eruit, ac *Richardus Simonius* vapulat, qui non sine cruenta ironia, eum magnum etymologiarum fabrum vocat. Utilis enim labor ille vocum origines scrutandi est, quibus cognitæ natura rei simul intelligitur, quod linguis orientalibus familiarissimum est. Dubito an huc etiam pertineat illustris *Ludolfus*, Jureconsultus πολυγλωττος, ac inter Æthiopicæ linguæ in Germania doctores *Coryphæus*, qui derivationem primi hominis חַוָּה ex Æthiopica radice ἤρῶ quæ placuit, jucundum fuit, delectavit, notat, petendam esse, in *commentario historia Æthiopica*. p. 207, judicavit, quam sententiam summe reverendus *Abichtius* Antistes Dantiscanus, olim in *dissertatione hic habita, de coccinea peccatorum albedine*, p. 22. 23. examinavit, illam tamen *Majus* Professor LL. OO. Giessensis, in *dissertationibus Philologico-Theologicis* p. 269. seqq. defendit. At ex eadem lingua vocem חַוָּה *Jes.* 40. v. 2. occurrentem, de carentia & defectu, non de peccatis explicans, tenori textus propius accedere videtur, cui Clarissimus *Schudtius* in *Trifolio Hebraico* sub verbo חַוָּה assensum præbuit. Et veteres Judæorum Magistri, ad linguam Arabicam, in difficultum vocum vel ἀπαξ λεγομένων explicatione sapius quidem recte provocant, at non semper rem acu tetigerunt, & cum judicio legendi sunt, ne
pro

(*) Vid. *Erisebmuth* in *dissert. de Hirco Emissario* & Summe Reverendus *Deylingius* Vir insignite doctus, in *Observat. Sacris*.

pro Junone nubem arripias, & sic non mediocris linguæ Arabicæ notitia, ad Rabbinorum lectionem, in qua illius usum *Hagerus* singulari disputatione ostendit, requiritur. Quoties autem commoda, facilis, nec longerepetenda & ex regulis harmoniæ fluens, vocis Hebraicæ Etymologia sese offert, eam respicere velle, & supposita alia coacta Hebraica, ac per longos anfractus laboriose accita, in altera clariori assumenda tergiversari, morosam crifin sapit, ac delicatum nimis fastidium indicare videtur. Sic annon probabilius est, voces שמים *cælum* & ארץ *terra*, ex radicibus Arabicis سما & أرض quarum illa, *altum*, hæc *depressum* esse significat, illustrari posse, quam ex Hebraica voce שחם *hyacinthus*, unde in Duali שחמים & contracte שחמים *duo hyacinthini* & *cærulei coloris hemisphæria* dicta sint, & alteram ex inverfo vocabulo, אצר, quia terra omnium rerum *thesaurus* sit. Probat Arabicam illam Etymologiam, præter *Pocokium*, *Hottingerus* in *Hexaëmero*, p. 24. & 31. qui tamen in aliis *smegmate Orientali* expofitis, non semper debita cautione usus est. Ac annon evidentius vox אלה *Deus*, a radice Arabica אל *coluit*, *adoravit* deducitur, quam ex אלה *valde torta* compositione, quæ *primitatem essentiæ* notet. Ac num vox ישוע *Salvatoris nostri nomen*, aptius ex יהוה *erit salus vel liberatio*, quam ex antiqua radice ישע quæ in Hiphil superest, apud (*) Arabes autem in radice وسع, *amplitudinis & relaxationis angustiarum*, significatione conservata, ad hanc usque harum rerum peritis dijudicandum relinquo. Et cum Servator ille noster *Genes. 49. v. 12.* חבילי *vocetur*, non inepte vox illa ex voce (**) Arabica س *petitur*, ut transposi-

B

tis

(*) v. *Schultens* in *Orig. Hebr. ex lingua Arabica illustratis* p. 17. sqq. quas nuper in *Actis Eruditorum* recensui,
 (***) *Conf. de ea Epistolam Maurocordati ad Wedelium in dissertationibus Medico-Philologicis, ubi de Medicorum Alcohol inde orto differit.*

tis literis prioribus, sit quasi כחלילי *i. e. niger*, in qua opinio-
ne seqvor præceptorem olim meum honoratissimum, *Danzi-*
um, qui & in interprete Hebraico. p. 5. & in peculiari disserta-
tione, illam pluribus argumentis stabilivit, cui etiam supra
laudatus *Hillerus* adstipulatur. Ac ut ex N. T. unum adhuc
vocabulum afferam, annon *Magi*, nomen habuisse a radice
Arabica *مجنش* ignem accendit, potius videntur, quam a vo-
ce Hebraica *מהגים* quæ *Jes. 8. v. 19.* occurrit, ut solide *Hin-*
ckelmannus in detectione fundamenti Böhmiæ, ex Lexico
MSC. Mubammedis Abdil - Cbaleki Arabico-Persico probat
p. 118. Persicum enim *Mog* vocabulum nativum non est.
Sed plura exempla usus linguæ Arabicæ allegare superse-
deo, & ad ipsam rem, cujus causa hanc potissimum epistolam ad
Te, **VIR MAGNIFICE** exaravi, festino. Scilicet mentes
aliquot effluerunt, quod supremi in aula Regia & Electorali
Saxonica sacrorum Antistitis munus obiisti, & ab eo statim
tempore, publicæ gratulationis officio defungi volui, sed pro-
vinciæ clementissime mihi demandatæ partibus mire distra-
ctus, tardius paulo debitum meum exsolvo. Gratulor itaque
Tibi, **VIR MAGNIFICE**, sublimem istum honoris gradum, in
quo divina providentia Te collocavit. Assides ea dignitate
Supremo Synedrio sanctiori, quod **הושיה' החכם**
PRÆSES SAPIENTISSIMUS, quem Deus servet! dirigit.
Habet in eo Collegas, Viros Amplissimos & juris divini
humaniqve peritissimos, quos demisse veneror, ac inter
EOS SUMME REVERENDUM DOMINUM DOCTO-
REM LOESCHERUM Theologum consummatum, Vi-
rum de literatura Hebraica bene meritum, ac *Parschanda-*
tbam eximium, reverenter exosculor. Hi singuli Te amant,
colunt, suspiciunt, horum excellenti Societate fru-
eris. Evocatus es ex urbe celeberrima, ubi Antistitis ad Divum
Ægidii, ac inclyti Gymnasii Inspectoris, munus gravissimum
orna-

ornaveras, Noriberga inquam, quæ viros raræ doctrinæ
semper aluit, inter quos literaturæ Orientalis phœnix, a glo-
riosa memoriæ Imperatore *Leopoldo*, bibliothecam Nori-
bergensem visitante, magni habitus (*) *Dilherrus*, velut inter
ignes luna minores, emicat, ac singularis eruditionis Tuæ,
facundiæ, prudentiæ, cum non simulata pietate conjunctæ,
fama longe lateque sparsa, Te ad præfulgens hoc fastigi-
um evexit. Sustinuisti etiam omnium expectationem, ac
spei de Te conceptæ satisfecisti, hinc Te ως αγγελον θεου
ισα? δαδλαδ? امب instar angeli Dei, ut Galatæ Pau-
lum, exceperunt. Gratulor igitur Ecclesiæ Saxonica, cu-
jus eris συλος και εδραιωμα columna & firmamentum, ut
cum (**) *Gregorio Nazianzeno* loquar, quæque pre-
cibus tuis ad Deum ardentissimis, ac consiliis florebit. Gra-
tulor tandem Academiis & Scholis nostris, quarum res iden-
tidem ad curam Tuam pertinebunt. Simul autem Summum
humanæ fortis arbitrum rogo, ut Te per longum temporis spa-
tium officio huic præesse finat, ac ut serius fato cedas, precor,
& quod olim Saidus, seu Euty chius Patricides, Patriarcha
Alexandrinus, initio Annalium, fratri suo Isa, cui illos in scri-
psit, precatus est, id Tibi omne Deus emulatissime largiatur:

الهيك الاله من الامور البهية احسنها ووقفها
واصرف عنك من الخزائن الرديه اعظمها ووقفها
وافاد بالدارين سهبك وفي الحارين قسبك

*i. e. inspiret Tibi Deus ex rebus præstantibus optimas & conve-
nientissimas, ac avertat a te ex adversitatibus maximas & te-
rerrimas, & bect in utroque mundo & in utroque statu portio-
nem ac sortem tuam, & reliqua. Quod superest, Te, VIR*

B 2

MAGNI-

(*) vid. *Görzius de Principe Hebraice docto p. 31.*

(**) *Epist. LXII. ubi de Eusebio Samosatensi loquitur.*

MAGNIFICE, obtestor, ut eodem quo Beatus antecessor Tu-
 us, nobiliore sui parte, in Academia cœlesti (מתובהא דרקייעא)
 nunc degens, me dignatus est, & quo ipse incepisti, favore
 me porro complectaris. Operam dabo, ut non indi-
 gnum ames, & Summus Senatus Vester haud ingratum,
 nec indiligentem, beneficiis ornet, ac nova disquisitione,
 de harmonia Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis, in *Asseman-
 num*, Maronitam, linguæ Arabicæ & Syriacæ in Bibliotheca
 Vaticana Scriptorem, modeste commentabor. Nam in duobus
 istis *Bibliotheca Syriaca* tomis, quibus Orientis arcana e MSCtis,
 summorum Pontificum laudabili cura & sumptibus congestis,
 erudite pandit, dubia quædam insunt, amice meis ponderi-
 bus examinanda. Addeam si per alia impedimenta licebit,
 successu temporis, dissertationem de fatis linguæ Arabicæ, in-
 ter Arabes & Christianos, quæ ejus historiam ante & post Mo-
 hammedem, usque ad tempus Reformationis, & inde ad præ-
 sens seculum, per singulas Europæ regiones delineabo, ac
 quanto ubique studio nobilissima hæc lingua exculta fuerit,
 ostendam. Hanc subsequenter alia, de meritis Germano-
 rum in literas Orientales, quæ Germanis maximam culturæ
 illarum partem vindicabo, de modo procedendi in Foris
 Orientalibus, de Jure publico & privato Imperii Asiatici, ac
 ita me geram, ut promissas lucubrationes reliquas, jam af-
 fectas & in scriniis meis latentes, paulatim expoliam, ac cum
 orbe literato communicem, ne Arabum proverbium me feriat,
ولا توفيقى *audio mole strepitum sed farinam non video*,
ولا توفيقى *إلا بالله وهو منتم الامور* *Et non est fiducia mea nisi in*
Deo, ille enim est qui perficit negotia. Vale, VIR MAGNI-
 FICE, Patrone maxime Colende, ac in augusta Urbe
 Dresda (*حرسها الله* *custodiat eam Deus!*) diu spes ac
 felix vive. D. Lips. d. 21. Octobr. A. C. 1724.

Ling. Sem. 256(3)

